

fuert ordinis, dominabiturq; Sympatriotis suis, & adipiscetur diuitias. Si uero fuerit superioris fortunæ, obtinebit dignitatem super ciuitates, & gentes, & earum inhabitatores, augebuntur gloria eius & diuitiæ, nascetur ei filius, uel eius filio. Si Saturnus ei participat, corrumpit, & destruit diuitias suas paternas, ac testimonia matrum suorum, lædetur filius eius, atq; parentes contristabit, & defectionem animi patietur, erit tardus in operationibus suis, & impediatur in negocijs suis, erit male tractabilis, ægrotabit uaria ægritudine, sed restituetur & conualescet. Si Mars ei participauerit, significant bonorum confiscationes, quæ diximus præcique eorum, quorum significatio est Iouis, & diminutionem, & subtractionem. Si Sol ei participauerit, significant ipsum dominari in aliqua dignitate, uel opere, augmentari diuitias, prosperitatem, dignitatem, & gloriam ipsius, & loqui cum regibus, & principibus, & plures ipsum adibunt, eumq; deprecabuntur, erit honorabilis in omni re lætabitur cum parentibus, & consanguineis suis, adipiscetur dignitatem, uel hæreditatem. Si Venus ei participauerit, significat ipsum coniungi uxori probæ, consanguineæ, & nobili, habebit utilitatem per eam, perseverabit in cantilenis & ludis, ac delectationibus, obtinebit prosperitates præclaras. Et si secundum natiuitatem configurata fuerit Ioui Venus, augebitur prosperitas eius, & famosas acquirat diuitias, & indumenta noua, induetq; regias uestes, cultu regio decorabitur, multiplicabitur iocunditas eius. Si uero fuerit homo mediocris fortunæ, prædicta mediocriter obtinebit. Si Mercurius ei participauerit, & fuerit boni esse, significat alacritatem, & utilitatem, propter doctrinam, & disciplinam, crescet eius sapientia, & eloquentia, amicitiam contrahet cum nobilibus, & illustribus procuratoribus, erit fortunatus in operationibus suis, lætabitur super filijs, augebitur prosperitas eius, exaltabitur in dignitate sua. Si uero fuerit mali esse, minuentur bona prædicta, adipiscetur quidem, sed confusionem patietur pro eis. Si Luna participauerit ei, significat sanitatem corporis, & bonam habitudinem, gloriam, & prosperitatem, gratulabitur super sororibus & matre, obtinebit sperata, a pluribus laudabitur, eritq; regibus familiaris.

Mars si diuisor fuerit, & in loco radicis, in exaltatione sua, uel Iouis, uel termino, uel in aliqua dignitatum suarum, & habuerit participationem, aut testimonium Iouis, significat nato bonum, & honorem illo anno, & si nati genus erit nobile, uel hoc patiat, habebit illo anno dominium super præfectos militum, uel duces, intro mittet se rebus militaribus, unde ei lucrum, honoresq; accedent, erit uictor hostium & bona quæ habuerit, uenient ei per rapinas, prædas, cedesq;. Et si Iupiter aspexerit, indicat quod reducetur ad mansuetudinem & iustitiam, præcipue si Sol aspexerit Iouem, Sole in loco forti existente, uel ex trino aspiciente. Et si Mars fuerit in malo loco, nec habuerit testimonium, nec aspexerit aliquem cum Ioue, indicat ualentes malas, damna, combustiones, & febres, sanguinis effusionem, uel uulnera. Et si Mars uiderit eum terminum, indicat natum cadere in manus suorum inimicorum, uel latronum. Et si terminum non aspexerit, iter faciet sine utilitate. Et si cum hoc erit significator anni, & dominabitur in eo, erit illud malum deterius, & diuturnius, & si fuerit ascendens reuolutionis, & Luna similiter infortunata, & Mars similiter, id erit peius. Quod si Mars termini diuisionis dominium sortitus fuerit, & Mercurius radios suos ad eundem terminum proiecerit, non interueniente foelicissimi ac benignissimi Iouis sydere, aut aspectu, portendet nato talis positus, animi cruciatus & angores, damnaq; & carceres, ex occasione litigiorum, causarum, scripturarum, falsorum uel testimoniorum. Euitet igitur natus toto hoc tempore omnes irarum causas, litium semina, contentionum occasiones, forum, actiones forenses, caudicos ac uniuersum id genus hominum, quod ex calumnijs & aliorum incommodis sua comparat commoda.